

item universam, Antiquitates romanas, et Archaeologiam literariam docentem; Clodium etiam, Lucretium et Horatium enarrantem, adiit. Quibus studiis ad iuris scientiam, quam adamaverat, praeparatus, res in Imperio Germanico gestas, Statuum Europaeorum, recentiorum negotiorum inter gentes tractatorum, et patriae denique historiam, praecunte Boehmio didicit. Juris naturalis, speciatim iuris publici universalis, et iuris legationum fundamenta, Sammeto et Schotto ducibus iecit; mox ad iura civilia progressus, romani iuris historiam, et ambitum omnem, a Breuningio, Sammeto, Schotto et Zollero, edoctus est. Artis interpretandi leges, et historiae literariae elegantioris iurisprudentiae notitiam, Sammeto acceptam fert. Germanici et Canonici iuris cognitionem ex Hommelii et Segeri, virorum aliis etiam modis optime de se meritorum, doctrina hausit; in historia ecclesiastica, in qua magnum est iuri Canonico praesidium, usus Ernestio et Burschero. Juris publici scientiam sibi comparavit a Boehmio et Segero; Saxoniae notitiam a Franckio; rei diplomaticae a Wenckio. In iure feudali Sammeto, Franckio, Segero; in cambiali Breuningio; in criminali Zollero adsedit. Coniungendum esse ratus cum iure criminali et ecclesiastico medicinae forensis et anatomiae studium, in illa praeceptoribus Ludwigio et Plazio, in hac Bosio duce, operam professus est. Examinando in iurisprudentia cum instituit Bauerus. Formulam iudicariam, praecipue Saxoniam, exposuerunt Zollerus et Richterus; referendi ex actis facultatem omnem Zollero et Segero debet. Denique usus forensis, exercitatione, magistra optima, acquirendi opportunitatem dedit consultissimus Kindius, Senator, caussarum patronus celebris. Studiorum eius ut felix esset successus, effectum est partim electorali stipendio per quadriennium clementer ei concessio; partim Academiae et Senatus huius urbis munificentia. Inter patronos primo loco commemorat excellentissimum atque illustrissimum L. B. a Gutschmid, Serenissimi Princ. Elect. Saxoniae administrum reipublicae gubernandae et Comitem Consistorianum, et illustrem Bornium, Curiae ditionum ecclesiae Misnenensis regendarum Cancellarium: quibus animum ob plurima benevolentiae documenta obstrictissimum, pie et publice testatur. Multum etiam Mageri, Viri consultissimi, opera et consiliis adiutus est. Per illud, quod in Academia exegit, tempus, disputationibus publicis bis Socius accessit, primum anno LXIV. a fratre, de  
Jam.